



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

M. Fabii Quintiliani Institutionum Oratoriarum Libri Duodecim

Summa diligentia ad fidem vetustissimorum codicum recogniti ac restituti

M. Fab. Quintiliani Declamationes Undeviginti. M. Fabii Avi Et Calpurnii
Flacci Declamationes. Auctoris Incerti Dialogus De causis corruptae
Eloquentiae - Cvm Variorum Notis

Quintilianus, Marcus Fabius

Lugd. Batav. ; Roterodami, 1665

XV. Odii potio II. Pro meretrice contra juvenem.

urn:nbn:de:hbz:466:1-12889

qui dicor explicitus? Modestior cum amarem, & quietior fuerat sane pallor in facie, sed ipsa quoque comis, optanda tristitia. Inveniebam colloquia, merebarque sermones: nunc me omnes fugiunt, averfantur, oderunt. Tum frequenter à lupanari¹ deducebat pudor, abjiciebat occurfus: nunc publica detinent: conqueror, assisto, convicior. Prò miseranda conditio! rideor ubique, narror, ostendor. Ego sum tota civitate meretricis inimicus. Sic patior miser illas lupanarium insultationes, illa corrivalium maledicta, convitia: non possunt satis tormentorum exprimere mensuram. Odi, nec unquam visus sum magis amasse. Intelligitis puto, iudices, hominem, qui tantum ad vos detulit animi mentisque cruciatus, & pro vita queri. Sed potio infelix, quicquid est per quod paulatim proficitur ad mortem, assidue mecum rixatur affectus, & brevi necesse est consumar. Quotidie vincor. Quæ putatis esse tormenta, quem dolorem, cum mens vetatur oculos sequi, cum à luminibus suis animus abducitur? Quod non proficit, hoc superest ut occidat. Me infelicem, si venenum istud non habet mortem, si mihi inter hos dolores longior vita duccenda est. Cur ergo post hoc animi vices commentaque prospicio? Si meretricis impotentia omnia licent, hoc erit remedium, ut amare rursus incipiam.

DECLAMATIO XV.

ODII POTIO II.

Ex superiore Argumento.

PRO MERETRICE CONTRA JUVENEM.

ET SI, iudices, ita à natura comparatum est, ne sit ul-
 lus justior dolor, quam beneficii sui perdidisse ratio-
 nem, nihilque gravius afficiat conscientiam bonorum,
 quam quotiescunque² nulla merita ceciderunt: non effi-
 ciet tamen nefandum præsentis reatus indignumque dif-
 crimen,

¹ Deducebat pudor, abjiciebat occurfus.]
 Lego, abigebat. Gronovius,

² Nulla merita ceciderunt.] Forte: i-
 rita merita ceciderunt. Idem.

crimen, ut misera puella non gratuletur sibi quod illam pauper accusare jam potest. Timuerat infelix, ne remedio suo sic repugnaret pauper, ut magis amaret: ne juvenis in omni genere animi contentiosus ac pertinax, potionem illam dolore coactæ sanitatis expelleret. Bene quod & terribilis & minax est pauper, quod pœnam nostram, quod sanguinem petit. Non expectes ut statim gratias agat, qui sanatur invitus. Nobis tamen, iudices, hodiernam pauperis mentem non prima fronte tractantibus miserrimus juvenis nondum videtur explicitus: & si bene prioris ardoris impatientiam novi, quod maxime facit, ira non odium est. Alioqui si profecisset remedium, & à pristino furore jam liber, animo intellectum sanitatis admitteret, omnem adhuc puellæ vitaret occursum, non sibi crederet ultionem, & ipsum quoque iudicii timeret adire complexum. Deprehensa est puto novissime potionis supervacua persuasio. Amat, iudices, amat, qui queritur quod non ametur. Quid agam, iudices, hoc loco? sub quo temperamento defensionem periclitantis aggrediar? timeo ne si cœpero simplicissimæ puellæ laudare mores, referre probitatem, amare rursus pauper incipiat. Sive enim, iudices, malignitas est persuasionis humanæ, formam vacantem vocare meretricem, seu miseræ nomen id imposuit aliquis amator, cui cum corporis bonis fortuna non dederat unde severi matrimonii castitati sufficeret, laboravit necessitatum suarum custodire probitatem. Nullius unquam per hanc matrimonii turbata concordia est. Nemo questus est pro filio pater. Nemo exhaustas facultates in avidissimos sinus pœnitentiæ dolore deflevit. Tentet licet ingratiſſimus juvenis invidiam miseræ facere prioris affectus, non poterit obicere meretrici & quod amarit, & quod amare desierit. Ne quem igitur accusator hac prima fortunæ suæ comploratione decipiat, tanquam meretricis charitate consumptus sit: securi estote pro innocentia nostra, talis incidit, talis adamavit, nec habuit quod perderet in tam immodico ardore,

dore, nisi mentem. Vidistis enim notissimum tota civitate miserum, cum lupanari noctibus diebusque deserviens, quamvis indulgentissimæ puellæ simplicitate frueretur, modo tamen maledictis opprobriisque vulgi, modo crebra rivalium contentione pulsatus, abigi tamen compescique non posset. movit mitissimam puellam hic infelicis affectus. laboranti primo sui voluit facultate succurrere: sed quicquid indulserat, fovebat ardorem: quæque in hac impatientia prona persuasio est, quia nihil præstanti meretrix tam sæpe contingeret, amari sibi videbatur. Postquam nihil miseratio, nihil proficiebat humanitas, tentavit asperitate discutere. Poposcit, exclusit. Non defuerunt misero preces, adhibita sunt ex ipsa juvenis conditione consilia. Sed ista vincebat, & vires amoris impedimenta perdebat, donec intelligeret hominem qui explicari ratione non poterat, necessitate servandum. Puto, iudices, frustra male audit in immodico pauper ardore. Meretrix magis amavit hominem, à quo noluit amari. Consumptis igitur optima foeminarum cunctis indulgentiæ severitatisque consiliis, dum apud omnes de pauperis sui amore conqueritur, incidit remedium, quo jam dicebatur alius amator explicitus. Quæ prima igitur medicamenti pariter ac dantis integritas est, non negatura porrexit: adjuvit deinde quod dederat, imperavit sibi ne quas admitteret amplius preces, ne querelis assistentis, ne lacrymis moveretur, exclusit. Vultis scire, iudices, ubi sit medicamenti quod objicitur, totus affectus? Quisquis odium dedit, omnia post hoc facit, ut debeat amari. Quanto juvenis hoc melius in forum aliquando venisti? Incipis agere serium, gravem: jam leges, jam jura loqueris, conviciaris, maledicisque meretricibus. Hunc tu animum modo inter libidines ac scorta perdebas, macie notabilis, pallore deformis, solaque impatientiæ tuæ fabula notus. Perieras infelix, nisi bibisses venenum. Veneficii agit. Credam mehercle, iudices, ad scri-

[Non negatura porrexit.] Puto negaturo. Gronovius.

scriptionem hujus immanitatis expectasse publicæ severitatis aures. Quodnam seculo nefas nunciaret hic gemitus? quæ profleret orbitas de novercalibus quæsitura commissis? Quæ pestiferis hæredem medicaminibus enectum triftis comploraret affinitas? Non pudet ergo quod vacatis lupanarium querelis, & ad vos deferuntur amantium rixæ? Videtis hunc accusatoria fronte terribilem? oscula poscit, destitutos queritur amplexus. Vultis vos abire potius in vestra secreta, ibique gaudia querelasque mutata conversatione consumere? Non agnoscunt leges ac jura miseros. Hic audiuntur seriæ calamitates. Non est ultione dignus, de quo potest efficere meretrix ut queratur. Equando unquam, judices, audistis de veneficio vivum querentem? facinus hoc semper ex mortibus accepit invidiam. Si latrocinium, probes cruore, vulneribus: si sacrilegium, spoliis numinum, prædaque templorum. Ita veneficium si arguas, oportet ostendas putre livoribus cadaver inter effrentium manus fluens tabe corpus. Ut jam istud objicere possit, & vita debet aliquid esse passa, quod invidiam mortis imitetur. Veneficium voca quod cæcitate grassatur, quod in aliqua deprehenditur debilitate membrorum. Profer, agedum corporis notas, in quas se noxiæ potionis vagus fervor effuderit, ¹ ubi depasta senectus visceribus sævitura confederit. Aspicio par laboribus corpus, retinere sua ministeria, sufficientem animum seriis actibus, accusatoria firmitate robustum. Crede, juvenis, omnibus qui te modo noveramus, nunc acrior ² erectiorque resedit in sensus vigor, in membra sanguis, viribus velut novæ juventutis exultans. Bibisse te medicamentum probare non posses, nisi meretrix fateretur. Quod si permittitis, judices, ut quicquid extra consuetudinem datur, ad hujus vulgi referatur infamiam: ³ beneficium male audiendo vitietur san-
nitatis,

¹ Ubi depasta senectus.] Malo depastis. Gronovius.

² Erectiorque resedit in sensus vigor.] Scribe, rediit. Idem.

³ Beneficium male audiendo.] Forte, veneficium male audiendo videbitur sanitas. id, quod sanitas est, si vulgus male interpretetur, erit veneficium. Idem.

nitatis, statimque merebitur sceleris invidiam, quicquid profuerit invito. Illud tantum noxium ¹ virus vocare leges, quod non admitteret interpretationis incertum. Iniquissimum est venenum videri, quod in potestate bibentis est an sit remedium. Sentit, iudices, juvenis crimen quod detulit, nec nomine nec affectu scriptionem legis implere. Itaque ex vocabulo mulieris quærit invidiam. Meretricem, inquit, accuso. Nescis, mihi crede juvenis, sceleris quod detulisti, qualem mihi debeas probationem. Rem expecto mehercule, ut sit ante omnia minax vultus, feralis habitus, horreant squalore crines, rigeat super nefandas cogitationes efferata tristitia. Facinus quod dicitur inquietare superiores, sidera diris agitare carminibus, tumulos, busta scrutari, & amputatis cadaveribus ipsas in scelus armare manus, fieri non potest ut auctorem suum non statim primo prodatur aspectu. Vides veneficæ non horridos vultus, placidamque faciem. Si cogitationes, si consilia pertractes, sola cura de forma est. omnis in hoc collata meditatio, ut sollicitet aspectu, sermone detineat. Audio subinde ² exactas mero noctes, tua mulier convivium, perditas amantium rixas. Meretricis unum veneficium est, ne desinat amari. Nunquid inique, iudices, in tanti sceleris subscriptione depono, ne nominibus reos velitis æstimare, sed moribus? Venefica tua quid prius unquam, quid simile commisit? Cujus per hanc expugnatus animus est? Quis queritur juvenis? quis senex? quis dives? quis pauper alius? In te ergo solo venefica, in te tantum aliud ista quam meretrix. Vultis integritatem puellæ breviter probem? Hanc quam nunc detestatur, accusat, amare mallet. Omnia, iudices, facinora (nisi fallor) causas vel de cupiditate vel de similitudinibus trahunt. Quod odium de amatore meretrici? Quæ præda de paupere? Odium, inquit, accepi. Ecquid, iudices? Satis me contra infamiam veneni vel solum medicamento

¹ *Virus vocare leges,*] Scribe, *vocant.* Gronovius.

² *Exactas mero noctes tua mulier convivium.*] Forte, *tumultuosa convivium.* Idem

menti nomen absolveret. Nec invenio cur debeat idem
 videri, quod non potest idem vocari. Agedum juvenis,
 potionis imple hujus immanitatem: dic, Odium accepi
 contra conjugem, contra liberos meos, ut à sacris avocarer
 affectibus, ut pignora sancta despicerem. Illud odium in
 meretrice facinus est, quo utitur in sui charitatem. Ita vel
 hoc solum sufficit excusationi, quod illa contra se tantum
 dedit. Odium, inquit, accepi. Nunc te hic reposco, juve-
 nis, invidiam quam fortunæ nostræ paulo ante faciebas.
 Dic, meretrix dedit, prostituta porrexit. O quam timue-
 ram ne diceres, amatorium sui. Consurge, agedum, juve-
 nis, & totis corporis animique viribus imple susceptæ ac-
 cusationis horrorem. Est quod audiente tota civitate pro-
 clames. Misere mei, adjuvate, succurrite, bibi medi-
 camentum crudele, sævum, desii pauper amare meretri-
 cem. Jamjam non inquietis noctibus vagus vilissimi cujus-
 que perditos patior ictus, nec exclusus ante lupanarium fo-
 res postero diem pervigil amator expecto. Possum navi-
 gare, colere terras, sufficio militiæ, redditus est mihi ani-
 mus quo fierem maritus, quo senectuti liberisque prospice-
 rem. Quantum dii deæque remedium conditioni bibentis
 valuit? Fecerat te potio ista felicem, si divitem puella. Ita
 vel hoc non solum, judices, innocentissimæ puellæ pro de-
 fensione sufficeret, quod nihil fecit sua causa? Amatorem
 dimisit, explicuit illa quæ captare dicitur ut ametur, quæ
 sollicitat, quæ corrumpit affectus. ¹ Ingrate, quanta de te
 potuerit gratia frui? Non quidem confers precia, non sti-
 pes, sed assides, sequeris, hæres, præstas comitatum, favo-
 rem, laudas ubique, miraris. Hinc ergo iratus meretrici-
 bus, quod illas etiam pauperes ament, quod facile contin-
 gant, quod laboribus exonerentur adeuntium facies, hinc
 amator ut divites ament in crimen maximum captas trans-
 ferre beneficium? Ut aliquis amare desinat, non nisi ab
 O amante

¹ *Ingrate, quanta de te potuerit gratia frui.] Immo potuerat, vel poterat. puella
 nempe aut meretrix. Gronovius,*

amante præstatur. Quid ais juvenis? Ita bibisti potionem, quæ finem cupiditatibus daret, premeret ardorem, desideria restingueret? Abi, recede, dum puellæ publico generis humani nomine gratias agimus, quod hoc fieri posse monstravit. Furor ille qui (si credimus) numina quoque detracta sideribus misit in terras, qui de sacris venerandisque pignoribus monstra commentus est, ardor qui miscuit hominum ferarumque concubitus, ferrum, ignes, claustra laxabat, per interjecta late maria fugiebat, vetatur, perit. Accipite quod magis debeatis stupere, mirari: remedium amoris mulier invenit. Desinite nunc incestum timere mortales, nulla pietas horreat nefandæ cupiditatis instinctum. quicquid non parentum minæ, castigationes, non ferii propinqui, non paupertas, non necessitas poterat efficere, haustus brevis, facilis, unus extorquet. O si quis odium posset omnium bibere vitiorum! Felix profecto mortalitas, si reliquos lapsus incommodosque mentis errores fas esset infusa potione compescere. Facinus est, quod maximum remedium, gratiam sui auctoris vocabulo perdit. Miraremur hominem, qui illud contra meretricem dedisset. Tibi tamen ultra omnes immodica cupiditate flagranti, tibi præcipue succurrendum, juvenis. Cujus homo conditionis adamaveras? Divitiis opus est, ne simus in amore miseri: & impotentissimi mali difficultates illi fortasse non sentiant, quos contra fastidia cæterosque contemptus explicat felicitas magna pereundi. Felix profecto, qui non nisi facultates in lupanari effudit. Tu perdis animum, ille æs: tu bibis uxoria, tu lacrymis rogas, pallore blandiris: & quod ad pessimum spectat eventum, miserabilis sis oportet, ut amator esse videaris. Finge te nullum hujus affectus sentire cruciatum, id amare te pauper saltem non pudet? Homo cui non vacaret agere longa languoris ocia, ægrumque non deceret totarum noctium quies,

1 Id amare te pauper saltem non pudet.]
 Lege, adamare te, pauper. saltem non pudet.
 vel, at amare. Gronovius.

2 Languoris ocia, ægrumque.] Scribe:
 quem ægrum. Idem.

quies, excusare non possis si tantum perdideris dies, cujus census ex manibus, ex laboribus substantia, ¹ quem quotidie possit ultra rationem in dies demensus, amentiam pateris, felicium oscula tantum amplexusque meditaris, & unde tibi calamitatis hujus non potest nec venia contingere, de voluptate miser es. Expectandum videlicet quando te fames, inopia castiget. sed inter ista cœpisti, quid jam facere potest ratio, consilium? Odio sanandus est, quem non explicat quod pauper adamavit. Non tamen intelligere possumus tecum solam fuisse paupertatem. Iterum, non opes tantum tibi, non facultates defuerunt: non erant, quantum video, propinqui, non amici: alioqui illi te potius nostra potione sanassent: vel si ignorassent hujus graminis vires, vinculis nexibusque tenuissent. Quid blandis affatibus impotentissimum eludis affectum? Datum est remedium dolori, qui sæpe egit in laqueos, in præcipitia compulit, qui cruciatus laborantis animæ vulneribus emisit. Quantum amoris in hominem liceat, illi magis sciunt, qui amant. Junge nunc cum fortuna tua conditionem mulieris adamatæ. Incideras quidem miser in puellam minime superbam, minimeque difficilem. Quasdam tamen non possumus circumire meretrices. Quam multa pro illis exigit sexus, ætas poscit! semper necessitas petit corporum, cultus poscit, stationis tristissimæ impatientia. Totos infelix dies lupanarium foribus impendes, ut quandoque prostituta pauperi vacet. Contentione numerantium dilatus, exclusus, ocium meretricis expectas. Negatur tibi complexus, indignatione persequeris. Contingit, verum felicitate corrumperis. ² Spem gaudia parant, adversa contritionem. Ex utraque fortuna desideria coalescunt. Nobis crede qui vidimus, quis tibi uni fuit corporis habitus? quis pallor? quam miserabilis, quam pudenda tristitia?

O 2

Quo-

¹ Quem quotidie poscit ultra rationem in dies demensus.] Forte: quem quotidie poscit vitæ rationem vile demensum. Ut apud Terentium: vix de demenso suo. Plautus in Stichis: Vos mequissimi quos
calendis petere demensum cibum. Idem.
² Spem gaudia parant, adversa contritionem.] Lege, contentionem. Supra: juvenis in omni genere animi contentiosus ac pertinax. Idem.

Quoties tu venenum bibere voluisti? Non est igitur, juvenis, quod tibi queraris illam mitissimam partem humanæ mentis ablatam, non charitatem, sed impatientiam: non voluptatem, sed tormenta: non amorem, sed quod adamaveras, perdidisti. Amoris (si sapientiæ sequamur auctores) antiquissimum numen, & cui se naturæ debet æternitas. Sed ille mitis & serius honestis cupiditatibus & viribus sacræ charitatis exultans, ut qui cuncta priscae noctis operta caligine diduxerit primum, deinde miscuerit. Hic vero quo perditis visceribus adhæremus inquieti, lascivientis adhuc ætatis instinctu tumultuosus ac petulans, telis funereis facibusque armatus. Præstat igitur ille mortalibus liberos hac usitata conjugii pietate: hic incesta, libidines: adulteria, meretrices. Referam nunc fabulosas immodici furoris prodigiosasque novitates, conceptum nescientibus oculis ignoti hominis aspectum, formam suis in se luminibus ardentem, virgines patrum senectute flagrantes, mortalium ferarumque vultus usque ad monstrosæ fœcunditatis onera perlatos? Ex omnibus tamen quæ nobis patientibus extorquet affectus, hoc sævissimum patimur, quod nemo vult in amore sanari. Ego tamen, inquit, amare mallet. Hoc est ergo propter quod opus odio fuit. Nihil agebant castigationes, nec preces: consilia perdebantur. Odio debet amator explicari, quem sanat adamata. Interrogare te hoc loco libet, nunquid accusare posses, si quod fecit medicamento puella, fecisset animo? Licuit te reposcere quantum numerare non poteras, fastidire, contemnere. Jam indignaris quod te maluit remedio quam dolore sanari? Mulier cui ad dimittendum amorem sufficiebat ut odisset, ipsa pro te commenta est ut illam tu potius odisses. Finge te tamen aliqua remedii tui sentire tormenta, arrogantissime miserorum: tu autem sperabas ardoris immodici felicem statim sanitatem. Quid si queratur æger abstinentiæ dolore sanatus. Excussa sunt plerunque languentium verberibus, redemptaque debilitate vitia: ignibus, vulne-

vulneribus interdum profutura grassata sunt, & quæ fuissent mala sanitatis in gratiam remediorum de majoris periculi comparatione redierunt. Vix mehercle contingere potest, ut hilares ab hac impatientia lætique discedant, quos pudor, quos satietas, quos pœnitentiæ ratio dimittit. Nec sine aliquo morsu resilitur à malis, quæ voluptate tenuerunt. Iterum materia amoris est, desinere, nec queri. Opus fuit pari diversitate, viribus quantis adamasti, ne respiceres, ne frequenter in media sanitate subsisteres. Quale tibi remedium debuerit adhiberi vel ex hodierno sentis juvenis affectu. Pro homine qui post odium quæritur quod non amet, parum fuit si amare desineret. Audi igitur ingrattissime, quatinus ad publicas aures secreta nostra proferre voluisti. Dedi. Quid enim, inquit, facerem, quæ remedia tua multa perdideram? Ferre misera non poteram quod te jam cœperunt omnes ridere meretrices. Repete, agendum, illarum colloquia noctium, quibus te frequenter alterius, & fortasse divitis amatoris injuria, receptum, inter oscula amplexusque monui. Quid miser cum fortuna, quid cum mea conditione rixaris? Parce necessitatibus meis, duo pauperes sumus. Sed & tu quoties in sinus meos lachrimis fletuque resolutus exclamasti. Sentio furorem, sed imperare oculis, sed animum regere non possum? quam libenter te, mulier, odissem? Non est igitur ingrattissime mortalium, quod beneficium nostrum nomine potionis infames. Remedium bibisti, sed illud odium tuum est. Quid? quod furis, conviciaris, exclamas, non est haustus illius affectus, sed amor. Talis fuisti. Aliud sunt, aliud illi quos in voluptates superfluentium facultatum mittit securam felicitas. Improbius pauperes amant. Sic tumultuaberis admissus, sic moras, sic impedimenta ferre non poteris. Maledicebas populo, conviciabaris intransantibus. Cujus unquam feliciter commutata fortuna est, si tunc omnes oderas, nunc unam pauperem odisti? Quin potius, juvenis, admittis

O 3

[Sic tumultuaberis admissus.] Immo non admissus. Gronovius,

mittis consilii rationem? Quid agis infelix? Cur redditam modo sanitatem rigore nimiae contentionis exasperas? Prædico, testor, consumis odium, nondum totam mentem vis perfusa possedit, adhuc circa te duo maximi rixantur affectus. adjuva potius, adjuva potionem. Contradic, agendum, quicquid est aliud quod tumultuatur, exæstuat: totumque sanitas componat hominem. Tunc te sciemus amare desisse, cum desieris odisse. Et innocentiam quidem puellæ satis, ut spero, defendimus, magnitudo periculi vocet preces. Confurge, agendum, miserrima foeminarum, reliquam defensionis tuæ partem tuere lacrymis. Accusator quid speras? quid expectas? ad genua tua non mittimus eam. Toto licet infelicem terrore convenias, non exosculabitur manus. Mortem, suprema denuncies, te non rogabit. Frustra tibi aliquid de periculo nostro metuque promittis. Nescis, puella non habet odii remedium. Sane tamen viribus potionis effectum sit, ut accusaveris innocentem: sufficit ultioni vidisse pallentem: satis est audisse gemitus: memineris hanc esse quam tu non juvenis audisti. Quid agis? etiamne perferes illud pronunciationis anceps, illud humanæ salutis incertum? Numerabis ergo sententias, & si damnaveris, exultabis, nefande, gaudebis? Puto non adamasti. An & sequeris dum carnifex trahit? Intereris dum hos oculos occisura contingit manus? dum hæc amplexibus tuis nota cervix, ad supremos nudatur ictus? Non exilies? non pectus oppones? non fidem hominum deorumque clamabis? Accipies percussam super palpitantia membra consistens? potes hoc videre? potes hoc ferre? Sanatus es. Quod si quid tristius iudicii hujus attulerit eventus, dii rapide pereuntium beneficiorum semper ultores, dii quos iste crudelis in amplexibus puellæ frequenter mœrore, lacrymis, aut finem amoris rogavit, aut mortem, date nobis justam de ingrato juvene vindictam. Non imprecamur debilitates, naufragia, morbos. Pauper sit, & amet quancunque meretricem, & amare non desinat.